

turris ahenca. A colore capillorum nonnulli Aeneobarbi acceperunt cognomentum, vt Domitius apud Romanos, Fridericus primus imperator, & Saladinus præfectus Turcicus. Aereos aquales frigore disrumpi, legitur apud Strabonem. Aërosi dicuntur pyrites, & aërosa saxa, quæ plurimū in se aëris continent. Subaëratū, quod subtus aëris habet, pro mixto & adulterato, vt subaëratum aurum Persio: subaëratę statuę, intus aëreę, foris auro coopertę. A Græcis oratores nonnulli ὑπόχαλκοι, vt & ὑπόφυλοι vocantur, quorum sapientia non in pectore, sed in ore est. Illi qui nūmis subaëratīs vtuntur, criminis stellionatus notantur, vt Saxones ex Insubribus in sedes antiquas reuersi, Belgis talia nomismata dederunt. hi verò, qui sermone fallunt, sophistę appellantur.